



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs III. De Specie?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

ostendam, analogiam non ob stare abstractioni, & rationem entis analogam à reali, & solius rationis posse præcindi; item à fortiori rationem entis realis à substantia, & accidenti, creatore, & creaturis, respectu quorum tamen ens reale analogum est, iuxta non paucos aduersarios. Contra secundo: quoniam qualitas incommuni est prædicamentum, supereminetque genus, ac proinde ratio vniuoca contemplatione caloris, v. g. & lucis, actus, & potentia, cæterarumque qualitatum inferiorum, quin obstat ab eis per prius, & posterius illam participari: rursum probabilius etiam est ens reale non obstante simili participio, esse vniuocum: quidni ergo sit vniuocum subiicibile in quid incomplete, vtut species, & indiuiduo ea cum inæqualitate conueniat. Contra tertio: quia falsum est, speciem prius naturæ subiici oportere generi, quam indiuiduum, & hoc posterius, quam illam: aliud enim est, quod species logicè, & in subsistendi consequentia sit in se prior indiuiduo, & hoc illa posterius: aliud, quod prius logicè referatur species, quam indiuiduum ad genus, eive subiiciatur, & hoc posterius, & cum dependentia à ratione specifica. Primum namque verum esse, secus vero secundum supra satis est demonstratum: quorsum ergo subiicibile in quid incomplete analogum adstruitur?

85 Ex dictis, tum hoc capite septimo, tum etiam sexto, & quinto constat solutio eius quæstionis, an scilicet relatio generis ad species, & indiuidua sit eadem, vel diuersa: quod enim sit omnino diuersa putant Louanenses, & quidam alij. nimirum generica respectu specierum, & alia innominata contemplatione indiuiduorum: quod vero sit eadem omnino, & nullatenus distincta, putant alij: Denique, quod sit eadem, id est similis, & homogenea, ac prorsus generica, cæterum distincta, & alia, aliaque, aut specie, aut certe numero, censent Rub. in log. cap. 3. de specie quæst. 5. metaph. cap. 28. quæst. 14. sect. 3. Conimbric. in log. cap. de specie quæst. 2. art. 1. Hurtad disp. 4. de genere sect. 5. §. 33. Tellez 1. part. summæ disp. 6. sect. 4. Arriaga sect. & subsect. supra citatis: Item Masius quæst. 3. & 4. de genere sect. 5. Scotus quæst. 17. de vniuersalibus, & communiter eius affectæ. Quorum authorum sententia, vt communior, sic etiam verior nobis videtur: ea autem superius satis est probata, sicut & diuersa sufficenter improbatæ.

86 Constat etiam ex hæcenus disputatis solutio alterius quæstionis, an scilicet species sit adequatum correlatiuum generis affirmatiuè respondent Louanenses, negatiue cæteri authores supra laudati: hi, quia genus etiam prout tale referri ad indiuiduum, necnon huius relationem terminare censent; illi, quia ad solam speciem referri genus, & huic quatenus tali solam eam subiici existimant. Quod tamen Louanensium opinio hac in re falsa sit, & communis sententia longè probabilior, superius est ostensum.

Deinde ex dictis perspicua est decisio alterius controuersia prioris affinis, an scilicet species sit primum, & immediatum generis correlatiuum: negant Conimbric. Fons. Tellez: affirmant vero quidam apud Louanenses, & post eos Hurt. disp. 5. log. sect. 1. §. 5. & re ipsa Auerſa citata illa sectione §. 5. ex hac conclusione inferendum est, esto verbis non nihil dissentiat: horum fundamentum est, quia potest abstrahi ab indiuiduo, & specie vna ratio communis subiicibilis in quid incomplete, utroque prior, adeoque generi immediatior: illorum vero, quia repugnat talis abstractio. Cæterum repu-

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

gnantiam illius nullam esse, supra late ostendimus, ac proinde quid in hac quæstione tenendum sit, iam tum præiudicauimus.

87 Porro autem, quæ disputata sunt de specie, & eius correlatione respectu generis, ea oportet intelligi de specie vniuersali, ac de multis prædicabili, qualem reuera esse debere speciem subiicibilem, & generis correlatiuum, adeo ceterum putant nostri Conimbricenses, citata quæst. 2. de spec. art. 1. in fine secundæ conclusionis, vt contrarium alienum esse à communi philosophorum sensu pronuncient. Aliqui tamen aliter sentiunt, & speciem subiicibilem non dubitant omne id appellare, quod subiicitur generi, vel in quid incomplete, siue sit vniuersale, siue singulare, & indiuiduum: atque hic loquendi modus supra cap. 5. ad eius finem nobis omnino non displicuit, nec modo etiam displicet, aut videtur improbabilis. Quem iuxta species subiicibilis est adequatum correlatiuum generis: tale siquidem est quicquid ei subiicitur: nec non etiam eius primum, & immediatum correlatiuum: huiusmodi namque est subiicibile in quid incomplete: verum enim species subiicibilis, tam in communi, quam in particulari sumpta debet esse adequatum correlatiuum generis, proximum verò, & immediatum, non nisi in communi usurpata, & prout à specie prædicabili, & indiuiduo abstrahitur.



TRACTATVS III.

De specie.

CAPVT I.

Quid sit species.



PECIES interdum significat prætextum, & simulationem, quo pacto dicuntur simulata in speciem fieri: interdum rem visam, qua ratione ait Maro lib. 2. *Æneidos*;

Non tulit hanc speciem furia mente Chorea.

Aliquando etiam formam, ac pulchritudinem; quo sensu Christus Psal. 44. dicitur speciosus forma præ filiis hominum. Has ergo speciei acceptiones & alias non paucas, tum in sacris, tum in profanis, litteris valde familiares, velut à nostro alienas instituto missas facio; ac speciem cum Porphyrio ita definio: *Species est id, quod predicatur de pluribus differentibus solo numero in quid*; vt homo v. g. de Petro, & Paulo, & cæteris. Per id, quod predicatur conuenit species cum cæteris prædicabilibus: per prædicari de pluribus differentibus solo numero diffidet à genere, quod potius complectitur inferiora specie diuersa: per particulam in quid, à differentia, quæ in quale quid, & à proprio, & accidenti, quæ tantum in quale enunciantur. Rursum secundo, speciem cum eodem Porphyrio sic definio: *Species est id, quod subiicitur generi, veluti homo. v. g. animali, aut si mauis animal viuenti.* En duplicem speciei acceptionem logicis familiarem, quarum alteram iuxta vocatur species prædicabilis, iuxta alteram vero species subiicibilis. Porro autem utrâque speciei nomenclaturam irident grammaticæ

quidam; sed satis imperite suo more: eo namque vocabulo vtuntur, non solum nostri Scholastici, sed etiam multi Patres in vno, & altero eius sensu præsertim verò in priori August. lib. 8. de Trinit. c. 6. & in dialectica, atque in suis Damascenus, & Cassidorus: in posteriori vero, tum hi, tum eis Inngè antiquior Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. 15. ibi, *Pronunciavit Isaias; prodibit virga de radice Iesse, & flos de radice ascendet de virga, & requiescet super eum spiritus Domini. Dehinc species eius enumerat, spiritus sapientie, & intelligentie, spiritus consilij, & valentie, & spiritus agnitionis, & religionis: spiritus eum replebit timoris Dei.*

2. Aduersus posteriorem definitionem, qua est explicata species prout subiicibilis duæ sunt præcipuæ difficultates, de quibus late P. Hurtadus disp. 5. log. sect. 1. per totam. Altera est, genus definiri in ordine ad speciem, vtique subiicibilem, & eius correlatiuam, adeoque hanc perperam, & non sine circulatione vitiosa definiri in ordine ad illud è conuerso talem in modum: species subiicibilis est, quæ subiicitur generi: quo pacto male definias patrem, & filium ita: pater est qui habet filium, filius est, qui habet Patrem. Caterum huic difficultati factum est satis tract. præc. cap. 4. assert. 2. & 3. ibique ostensum genus definiri respectu speciei prædicabilis, non vero subiicibilis prout talis, quantumvis hæc sit eius correlatiua: quid ergo prohibet, hanc contemplatione illius quidditatiue explicari? Altera est, fore, vt indiuiduum incompletum sit species subiicibilis quippe quod subiicitur etiam immediatè generi, adeoque definitionem nostram participat. Sed hæc etiam difficultas est à nobis superius profligata eiusdem tract. cap. 5. in solutione argumenti tertij: ibi namque visum est tribus de causis indiuiduum incompletum nequitiam esse speciem subiicibilem, & huius definitionem totidem modis ita explicare posse, vt illud reiiciat: ibidem etiam visum est, quatenus probabiliter sustineri possit indiuiduum incompletum esse speciem subiicibilem, adeoque absurdum non esse, si huius ei definitio conueniat.

3. Quapropter obiicies aduersus priorem definitionem speciei prædicabilis, frustra eam tradi, cum eiusmodi species sit concretum per accidens, quod tamen nunquam vere, ac proprie definiri posse constat, tum ex Aristotele, & B. Thoma lib. 7. metaph. sect. 3. verbis supra citatis tract. præc. c. 3. tum etiam ex eo, quod definitio sit oratio explicans quidditatem, & essentiam, siue substantiam rei; ens autem per accidens, siue non substantiale substantiam non habeat explicationi aptam subiici: tum, quia ens per accidens magis est plura, quam vnum: haud ergo eius natura explicabitur sicut ad veram definitionem oportet; sed eius naturæ; vnde ad summum colligi potest, multis illud definitionibus, non tamen vna posse declarari: tum denique, quonia in essentia est propria solius entis; nec mirum, cum sit eius abstractum quoddam ens autem per accidens, seu non substantiale, veluti album, non est simpliciter, sed secundum quid, & analogicè respectu substantiæ: ergo non habet simpliciter essentiam, aut definitionem, quæ obiectiuè iuncta cum essentia recurrit & eadem est; formaliter verò usurpata eam explicat.

4. Hoc argumentum facessit difficultatem, non solum definitioni speciei prædicabilis, sed etiam subiicibilis, nec non generis, differentiæ, proprii, & accidentis, cum hæc omnia sint concreta per accidens, & actum, atque obiectum ei extraneum com-

plectantur: quoniam autem species prædicabilis componitur ex genere, & differentia, & per vtrumque definitur, quod non habet species subiicibilis, si quod est probabile conuenit indiuiduo incompleto, aut còpleto, indiuidua namque plerumque sunt scientiæ, ac definitionis expertia, nec etiam genus, differentia, proprium, aut accidens prout talia, ac nisi vt quandam speciei rationem induunt; idcirco difficultatem illam communem de definitione totius per accidens libet in specie prædicabili examinare. Tam ergo pro illa, quam pro specie subiicibili, & quocunque vniuersali, & particulari respondeo, concretum per accidens verè, ac propriè posse definiri, idque Conimbricenses tom. 2. log. in cap. 4. de orat. quæst. 4. art. 6. & Hurtadum disp. 4. log. sect. 1. § 4. & communiter ceteros autores nostros aduersus quosdam Thomistas, & non paucos Scotistas arbitrari: & merito: quando enim ea sunt in rebus ac veritatem habent transcendentalem, quidni possint cognosci, & per definitionem logice, & artificiosè explicari.

Ad Aristotelem ac B. Thomam dicendum est, eos proposita illa quæstione, an scilicet composita accidentalia queant definiri, & quidditatiue declarari, inprimis negatiue respondere, vt constat ex testimoniis adductis: ceterum in solo sensu reduplicatiuo: quasi hoc tantum velint, ea concreta per accidens, prout talia, nequitiam definiri; secus vero, si sumantur prout sunt concreta per se ex genere, & differentia illud, non accidentaliter, sed essentialiter contrahente. Moueor primum verbis Aristotelis lib. illo 7. metaph. eadem lect. 3. nobis obiecta: *non ergo vlli eorum, quæ non sunt species generis inerit, quod quid erat, esse, sed his solum: hæc enim videntur, non secundum participationem, & passionem, nec vt accidens dici.* Moueor secundo verbis B. Thomæ ibidem: *pater, quod quid erat, esse, non erit alicuius, quod non sit è numero specierum alicuius generis, sed solum his, id est solum speciebus: species enim sola definitur, cum omnis definitio sit ex genere, & differentiis: illud autem, quod sub genere continetur, & differentiis, constituitur est species, & ideo solius speciei est definitio: sola enim species videtur dici, non secundum participationem, & passionem, nec vt accidens.* Ergo si sumatur concretum per accidens, non prout tale, sed prout est ens per se quodammodo, & genus per differentiam essentialiter contrahit, speciei que rationem obtinet, eo ipso poterit illud definiri, tum iuxta Aristotelem, tum iuxta Beati Thomam.

Deinde secundo dicendum est: tametsi quodam sensu, eo nimirum, quem nuper explicuimus, ambo negent concretum per accidens definiri; ceterum eos aliter soluere quæstionem, ac respondere parum cum probabilitate dici posse, ens per accidens definitioni subiectum esse, tametsi aliter, ac ens per se. Etenim Aristoteles lect. 4. sequenti prope medium sic habet: *illud autem manifestum est, quod, quæ primo, & simpliciter definitio, & quod quid erat esse substantiarum est: at ceterorum quoque similiter est, non tamen primo: non enim est necesse, si hoc ponamus huius definitionem esse quodcumque oratione idem significat, sed quod aliqua oratione: hoc autem si vnius sit, non continuatione sicuti Ilias, aut quacunque continuatione, sed si quoties dicitur vnum. Vnum autem dicitur, sicuti & ens; ens autem quoddam ipsum quod quid, quoddam quantum, quoddam quale quid, significat: quare & albi hominis erit oratio, & definitio, alio vero modo, & albi, & substantia. Quem textum, alioque similes amplectitur B. Thomas, ab illis verbis,*

verbis, aut oportet secundum alium modum soluendi dicere, quod definitio dicitur multipliciter, sicut, & quod quid est; ipsum enim quod quid est, uno modo significat substantiam, & hoc aliquid; alio modo significat, singula aliorum predicamentorum, sicut qualitatem, & quantitatem, & alia huiusmodi talia: sicut autem ens predicatur de omnibus predicamentis, non autem similiter, sed primum de substantia, & per posterius de aliis predicamentis, ita & quod quid est &c.

7 Nescius haud sum philosophum, & cum eo Beatum Thomam testimoniis, posteriori loco allegatis hoc significare, definitionem entis per se, ac substantiali, atque enti, seu concreto per accidens conuenire analogice; sicut iuxta eos ens, & quod quid est, ut aiunt, substantia, accidenti, Deo, & creatura, analogica ratione competit. Ceterum, uti analogia entis in eo solo sita est, quod Deus magis principaliter, ac simpliciter sit ens, creatura vero, minus principaliter, & secundo, siue iuxta aliorum phrasim secundum quid, eademque cum inaequalitate, accidens, & substantia, rationem eius communem participant, non vero in eo, quod solus Deus, ac substantia sit vere, & proprie ens; neutiquam vero creatura, aut accidens: haud enim credendum est, Aristoteli, aut Beato Thomae tale quidpiam in mentem incidisse, quippe quos latere non potuit, creaturam, & accidens, reipsa producere suos effectus, & produci à suis causis; quae duo veram rationem entis manifeste supponunt: ita similiter analogia ab eis statuta inter definitionem entis per se ac substantialis, & eam, quae est totius per accidens, neutiquam arguit, alterutram non esse vere, ac proprie definitionem, sed tantum, quod altera magis principaliter, quam altera, rationem definitionis obtineat.

8 Porro id animaduerto in confirmationem vtriusque solutionis nuper tradita, quod Aristoteles lib. 6. Topic. cap. 5. disertis verbis affirmat; posse concretum accidentarium definiri vera, ac propria ratione: necnon, quod lectione nona libri quinti Metaphysicae idem doceat, tum ipse, tum ex eo Beatus Thomas in hac verba. *Definitio, quae est syllaba comprehendit in se definitionem, quae est elementorum id est litterarum: & huius ratio est, quia elementa, id est litterae, sunt partes syllaba, quantum ad speciem suam.* Haec tenus ille. Constat autem, syllabam esse totum per accidens ex elementis resultans: eiusmodi ergo totum potest definiri.

9 Ad primam rationem contrariam dicendum est; accidens habere etiam substantiam prout sumitur haec, non physice, sed logicè, & quatenus in idem cum quidditate recurrit, & quidem accidens haud reicere à se substantiam quouis modo, ac sensu usurpatam, vel inde constat, quod Apostolus fidei, quae est accidentis proculdubio substantiam tamen sperandam rerum appellet. Ad secundam rationem dicendum est, pluralitatem entis per accidens, & quod multas reipsa naturas non vnam solum cohibeat, neutiquam obesse, quominus sub definitione cadat: homo enim v.g. definitur, at eius natura latissime fusa, & omnibus communis ex parte rei est multiplex, nec nisi secundum quid, & per intellectum vna: quod ergo concretum accidentale non habeat naturam simpliciter vnam, sed tantum per accidens, & secundum quid, haud obstabit, quominus possit definiri: quocirca definitio dicenda est, ac definienda: oratio explicans naturam rei, vnam quidem simpliciter, aut secundum quid, per se, aut per accidens.

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

Ad tertiam rationem contrariam dicendum est; accidens, & concretum eo constitutum esse simpliciter ens prout hoc perinde est, atque aptum esse, adeoque in hoc sensu habere essentiam, quae merito possit per definitionem explicari. Quamuis etiam hoc diffiteri nequeam, ita ens aliquando sumi, ut cum substantia recurrit, ac sit prorsus idem: quo sensu procul viso homine aliquo v.g. vnum duntaxat ens à nobis videri dicimus, quamuis eius accidentia plura nobis appareant: horum ergo nullum tum reputamus ens simpliciter. Quemadmodum autem accidens non est ens simpliciter, hoc peculiari, & non semper vtitato modo sumptum, ita neque essentiam simpliciter, nec definitionem sibi vendicat. Atque hoc fortassis tantum voluit Aristoteles ac B. Thomas: nobis vero, quam parum obest, aut quam parum aduersariis prodest, nemo non videat.

CAPVT II.

Alia argumenta aduersus definitionem speciei predicabilis.

Obiicies aduersus eam secundo: predicari actualiter est ei, quod predicatur accidentale: potest enim ei adesse, vel abesse, sicut album subiecto: quemadmodum ergo hoc homini v.g. quidditatiue definiendo est prorsus ineptum, ita & predicari actu ad speciem quidditatiue definiendam haud sufficit. Respondeo primo; vniuersale logicum quodam sensu sumi posse, ut ei conueniat actu predicari, non ex accidenti, sed essentialiter, ut visum est tract. 1. huius libri cap. 1. 2. & 3. vbi ergo statuitur speciem esse vniuersale logicum duntaxat, & non aliud, vel certe eam, quae definitur in praesenti id genus esse, profecto eius definitio poterit esse quidditatiua, vt tradatur per praedicationem actualem. Exemplum autem albi non est ad rem: nam uti per illud quidditatiue definiri nequit homo, cui est accidentale, ita nec id, quod est species per hoc, quod est predicari, &c. eo nimirum, quod tali rei accidat ita predicari; ceterum eiusmodi rei quatenus est species haud quaquam est accidentale predicari, uti superius: quid ni ergo per hoc quidditatiue definiri possit, prout eam denominationem induit? Respondeo secundo, in definitionibus verba saepissime significare, non actum, sed aptitudinem: quocirca in definitione speciei particulam, *predicari*, perinde esse, ac pollere, atque *posse predicari*, siue esse predicabile: predicabilitatem autem non posse abesse, & adesse speciei, reive, quae est species, sed potius eis necessario conuenire.

Obiicies secundo: Etiam praedicabilitas, est passio speciei, & non conceptus quidditatiuus: ergo per eam haud definitur species, quidditatiua ratione, sed describitur quoquo modo: consequentia est perspicua: suadetur antecedens: nam quod est passio respectu rationis communis, ea etiam, & non essentia debet esse intuitu rationis particularis: quo pacto risibilitas, quae est passio hominis, nequit non esse passio, nequit esse quidditas Petri: at praedicabilitas est passio respectu vniuersalis in communi, ergo & contemplatione talis vniuersalis, videlicet speciei. Ceterum, quod praedicabilitas, gratia vniuersalis in communi, & latissime fusi, haud sit passio, sed potius praescindat, ab eo, quod sit illius passio, vel essentia, superius ostensum

Dd 3 est,

est, tract. primo huius libri à capite primo, vsque ad tertium.

- 13 Obiicies tertio : species in communi prædicatur de omnibus speciebus, v.g. de ea, quæ abstrahitur ab hominibus, & de ea, quæ abstrahitur ab equis, nec non de cæteris aliis: at species omnes differunt specie: species ergo ab omnibus abstracta prædicatur de pluribus differentibus specie : non ergo de pluribus solo numero diuersis, vti in eius est definitione statutum. Minor argumenti (haud enim cæteræ eius partes egent probamento) hunc probatur in modum: species omnes differunt seipsis: ipsæ autem sunt species: ergo differunt specie. Deinde quis neget, hominem v.g. & equum in commune sumptos differre specie: at sunt plures species : Item duo indiuidua eiusdem species differunt indiuidualiter, siue numericè: ergo & eiusdem generis duæ species specificè. Denique indiuidua diuersarum specierum, quia sub his continentur, dissident specie: a fortiori ergo, vt aiunt, ipsæ species specie dissident.

- 14 Viderint alij, quid huic argumento respondeant. Ego propter illud arbitror, non dari rationem communem speciei ab omnibus abstractam, & quæ huic definitioni, quæ præ manibus est, aut alteri sit subiecta : ea namque esset, & non esset species : esset quidem, vt supponitur : non esset, quia non prædicaretur de pluribus, solo numero differentibus, sed potius specifica, & maiori diuersitate, præditis. Quapropter data definitio est singularium specierum, & perinde atque si quis ita diceret : species hominis est, quæ prædicatur de pluribus hominibus solo numero differentibus, in quid : species equi, quæ eadem ratione de pluribus equis : species leonis, quæ similiter de pluribus leonibus : & sic de cæteris. Ita autem intellecta definitio speciei obiectam difficultatem euadit, vt est per se conspicuum.

- 15 Obiicies quarto. Si nullum animal esset possibile præter hominem, animal in communi esset genus: haud enim esset hominis differentia, proprium, vel accidens, quippe de quo tunc diceretur præcisè in quid, non verò in quale, aut quale quid : haud etiam esset species respectu hominis: nam de eo tunc prædicaretur incompletè sicut modo, ac tunc inuolueret, non minus, quam nunc præter rationem animalis rationalitatem: at non haberet sub se plures species : quemadmodum ergo non est de ratione generis continere plures species, haud etiam erit de conceptu speciei cohibere plura indiuidua numero diuersa, adeoque perpetuè in ordine ad illa definitur. Vel paulo aliter : animal eo in euentu esset genus, & non species : at ei tota speciei conueniret definitio, nimirum prædicari de pluribus solo numero differentibus in quid, ergo, &c. Verum tr. 2. c. 2. huic argumento factum est satis, ostensumque animal ea in hypothese futurum esse speciem, & non genus, aliudvè prædicabile.

- 16 Obiicies quintò : definitio illa speciei haud facit eam esse diuersum prædicabile à genere: quod enim illa prædicetur de pluribus numero, & hoc de pluribus differentibus specie, parum videtur referre : si quidem genus supremum prædicatur de pluribus differentibus genere, & infimum de pluribus differentibus specie : nihilominus ambo non sunt prædicabilia diuersa : talia ergo haud erunt genus, & species, quamuis hæc de multis numero, & illud de multis differentibus specie enunciatur. Hæc difficultas aduersus definitionem etiam generis proposita est supra citato tract. 2. huius libri cap. 1. ad finem : ibique ad eam dictum est, genus supremum, & infimum qualiacunque sint inferiora vtriusque,

de iis prædicari in quid incomplete; sed speciem de suis inferioribus dici in quid complete, alterutrum vero genus, vt dictum est in quid incomplete: atque hac de causa ambo in idem coalescere prædicabile, secus vero genus, & speciem.

Enimvero aduersus hanc solutionem est quædam instantia in hunc reiecta locum : ea sic habet: species etiam prædicatur de suis inferioribus in quid incomplete, ac non velut tota eorum essentia : titulo ergo prædicabilitatis completæ non est quod à genere diuersum prædicabile constituat: consequentia est in aperto : suadetur antecedens : Id est de essentia rei sine quo ea, nec esse potest, nec concipi: at Petrus, & Paulus, nec esse, nec concipi possunt sine Petreitate, & Paulitate : hæc igitur sunt de illorum essentia : homo ergo, qui est respectu vtriusque species, haud est tota eorum essentia, & quidditas, atque quod consequens est, haud de illis complete prædicatur.

18 Respondeo primo : essentia rei, alia est formalis, alia identica, & materialis: illa est, quæ de re potest enunciari, per propositionem formalem : hæc vero, quæ non nisi per materialem, & identicam : priori modo homo est de essentia Petri, & animal hominis, & vivens animalis, atque ita vsque ad supremam rationem entis : posteriori vero modo, non priori, est de essentia Petri, petreitas, id est eius indiuiduatio, siue hæcceitas : quia nimirum ita est instituta, vt quamvis sine ea, nec esse, nec concipi possit Petrus, de illo tamen haud queat affirmari, nisi materialiter, & identice, non vero formaliter: hunc in modum, Petrus est Petrus, aut hic homo, siue quod iuxta est, Petrus est homo, petreitatem, siue hæcceitatem suam habens. Hinc ergo est, vt homo sit tota essentia formalis Petri, ac proinde de illo prædicetur in quid complete, sensu videlicet explicato.

19 Respondeo secundo : essentia, alia est logica, quia nimirum ratio aliqua communis identificatur cum re, tum etiam consideratione, ei conceptui, cui est essentialis : alia est, metaphysica, qua ratio communis solam habet identitatem realem, respectu eius conceptus, cui est quidditatiua : alia est physica, merito cuius partes aliquæ in communi, totum per se essentialiter constituunt, quin tamen ei sint, vllatenus identificata, sed potius ab eo omnino distinctæ, alioqui illud, haud per se, sed per accidens constituturæ : alia denique est, indoctrinalis, qua nimirum ratio aliqua singularis, & indiuidua, cuiuspiam est eadem, vel re sola, vel etiam consideratione, aut certe illud sine vlla identitate constituunt, vti hoc corpus, & hæc anima hunc numero hominem. Cur nam essentia logica, & metaphysica sic vocentur, supra declaratum est, tract. 1. cap. 1. ad eius initium, quapropter autem essentia physica, eo gaudeat vocabulo, satis liquet: nam physiologia proprium est, distinctionem realem totius per se à suis partibus, tum his, tum illo in commune sumptis considerare: cur etiam essentia postremo usurpata modo appelletur indoctrinalis, in causa est, quod doctrinæ, ac scientiæ non sint vt plurimum de singularibus, sed potius ab eis præscindant, ac circa vniuersalia occupentur.

20 Quibus positis. Petreitas haud est de essentia logica, physica, aut metaphysica Petri, vt constat ex dictis : his ergo tribus modis homo est eius tota quidditas, & essentia, ac proinde de eo prædicatur in quid complete, eiusque more quævis alia species de suis indiuiduis : quod autem Petreitas sit indoctrinaliter essentialis Petro, perinde habetur, ac si ei non esset essentialis, perinde, inquam, tum in logica,

logica, tum in quauis alia facultate. Et quidem indiuiduationem haud esse essentiam, aut quidditatem rei, quam denominat indiuiduam, sed potius completam eius essentiam esse speciem præter Basilium lib. 2. contra Eunomium supra cum esset quæstio de definitione generis à nobis citatum tenent Damascenus in Dialect. cap. 9. *Hypostasis autem, neque quid est ostendit, neque quale quid est, sed quis est. Interroganti enim, quis est iste, dicimus Petrus: Deinde interroganti, quid est Petrus, dicimus homo* Ecce extra quid rei, siue eius quidditatem, & essentiam collocat indiuiduationem: adeoque iuxta eum tota rei essentia est species. Et paulo infra sic habet; *non autem possumus dicere, quoniam aliud est Petrus, & aliud Paulus, quia falsum dicimus: natura enim unum sunt, non sunt unum numero.* Vbi etiam extra naturam, & essentiam rei censet esse differentiam numericam, & indiuidualem, ac proinde completam, & adæquatam rei essentiam esse speciem ab ea, & similibus abstractam. Idem etiam sentit (Clemens Alexand. l. 8. Stromatum; materia quidem locum obinet definitio definitioni quærens simplicitatem nominis: artificis autem, & opificis definitio, quæ componit, & construit, & eius, quod est ostendit cognitionem: Non harum autem rerum, nec idearum sunt definitiones, sed rerum, quarum habemus uniuersales, & generales notiones in animo. Vnde sic argumentor: singulares, quatenus tales haud cadunt sub definitionem: cum ergo definitio sit oratio explicans naturam, siue essentiam rei, sanè non erunt de essentia rei vilius: proinde tota essentia rei cuiusvis erit species sub qua continetur, adeoque hæc prædicatur in quid completè iuxta Clementem: quocum idem censent alij plures Patrum, quos breuitatis causa prætermitto.

21 Obiicies sextò. Vnio Petri eius materiam, & formam copulans prædicatur in quid de hac, & illa vnione Petreia, quæ solo numero differunt: At vnio Petri in communi species non est: species ergo definitio nequit sustineri. Maior probatur, quia per plures vniones solo numero distinctas, diuinitus simul, & humanitus, ac naturaliter successiue materia, & forma Petri inuicem vniri possunt, haud secus, ac idem intellectus idem obiectum per plures intellectiones, solo numero distinctas simul, aut successiue percipere potest, idemque agens eundem terminum per duas actiones solo numero distinctas simul, aut ex interuallo producere valet: igitur vnio Petri à pluribus vnionibus Petri solo numero differentibus abstrahi, & de iis prædicari poterit. Minor probatur, quoniam si vnio Petri esset species, vnio Pauli eadem ratione foret species, ac proinde ambæ specie differrent: ex quo vltèrius fieret, Petrum, & Paulum fore homines specie diuersos; quia quoties totum aliquod includit intrinsecè, & essentialiter aliquid specie diuersum ab eo, quod aliud totum includit, vtrumque totum specie distingui debet, esto in aliquo specie conueniant: qua ratione homo, & bellua specie distinguuntur: at Petrus includit intrinsecè, & formaliter vnionem specie diuersam ab ea, quam Paulus inuoluit.

Respondeo vnionem Petri specie diuersam esse ab vnione Pauli, & nihilominus Petrum ne secundum quid aut vllatenus specie differre à Paulo. Ratio est quia neuter consistit formaliter in sua materia, forma, & vnione, sed in toto quodam & integritate earum partium ab his realiter distincta, quæ sicut ex hac materia, forma & vnione resultat, ita & ex aliis quibusvis posset resultare. Quam doctrinam latè explicabimus & recentiorum obiectionibus tuebi-

mur in physica libro secundo, tractatu nono per totum. Iuxta eam vero facillè apparet, quatenus ex diuersitate specifica vnionum Petri, & Pauli horum inter se discrimen specificum haud quaquam sequatur.

Enimvero qui diuersam tuentur sententiam, putantque Petrum v. g. & Paulum partes suas earumque vniones intrinsecè inuoluere, nihil probabilius possunt respondere quam Petrum & Paulum propter diuersas specificè vniones dissidere inuicem specie, non quidem simpliciter, at secundum quid & quadantenus. An enim inquit aduersarij debet Petrus esse magis idem specie cum Paulo quam secum ipso, tum specie, tum etiam numero idem in quocunque statu? quod non debeat est vero verius. At Petrus, cum puer, & cum senex, est diuersus specie à semetipso secundum quid ratione diuersarum spece vnionum quas habet in vtroque statu vi continuæ accretionis, & decretionis substantialis: necnò etiam diuersus numero secundum quid à seipso propter diuersas materiæ partes, quidni ergo possit esse diuersus specie secundum quid à Paulo: verum quod huius solutionis doctrina falsa sit, constabit in phys. loco memorato, ac proinde nostræ standum est, vt veriori, ac magis probabili, quidquid obstrepat Neoterici.

CAPVT III.

Quenam esse possint genera, & species.

23 Quid in primis nullum non ens, siue id sit aliquid positiuè factum ab intellectu, vt hircoceruus, vel homo equus, siue carentia aliqua, vt cæcitas, vel tenebræ, possit esse species, aut genus, est communior, ac verior sententia. Eam tenent B. Thomas 1. 2. quæst. 72 art. 6. & in 2. dist. 28. quæst. 1. art. 1. Caietanus in prædicab. cap. de specie, Capreolus in 1. dist. 29 in solut. ad 5. argum. contra 3. concl. Heruzus de secundis intentionibus quæst. 2. art. 3. Louanienses in prædicab. cap. de accidenti. Hispanensis in 1. dist. 29. Conimbricenses in caput 1. de genere quæst. 2. art. 1. Tellez ex parte in log. disp. 6. lect. 2. n. 2. & quod caput est Arist. 1. de part. animal. c. 3. & 4. top. text. 67.

24 Probatur autem hæc opinio: nam species debet prædicari de pluribus numero differentibus: sed hircocerui v. g. inferiora non conficiunt numerum numerus enim est collectio vnitatum, siue multiplex vnitas: vnitas autem conuenire nequit non entibus, vti neque veritas, aut bonitas, aliæ proprietates entis: item numerus est quantitas discreta; sed quantitas est genus quoddam entis: nequit igitur non entibus cuiusmodi sunt hircocerui inferiora competere. Deinde species debet prædicari de suis inferioribus in quid, siue quidditatiuè: ea ergo debent habere quidditatem: hircocerui autem inferiora destituuntur quidditate: quidditas namque, & essentia iuxta sunt; illa ergo cum sint non entia, carent essentia, ac proinde quidditate: neque non eorum quodlibet est nihil, siue, quod eodem redit, nullum eorum est aliquid: haud ergo possunt habere quidditatem, quæ est abstractum huius concreti quod aliquid, siue quidpiam nuncupatur. Vltèrius species prædicari debet de suis inferioribus completè: hæc ergo sortiri oportet complementum, & perfectionem: at inferiora hircocerui, cum sint mera fig-

D d 4 menta.

menta, & non entia sunt omni complemento, ac perfectione destituta: haud ergo hircoceruus in communi potest esse species in ordine ad illa.

25 Eisdem autem rationibus probari potest, nullum non ens esse posse genus: tum, quia, hoc constituit speciem aliquam, & sine ea est nunquam: species ergo cum non reperiatur, in non entibus, qui potest in eis inueniri genus: tum etiam, quia ad hoc requiritur numerus inferiorum, quippe qui est coniunctus cum eorum diuersitate specifica, nec non illorum quidditas, & essentia: pradicatur enim genus de pluribus differentibus specie in quid: aut in non entibus, nec est quidditas, ut dictum est: tum denique a paritate rationis: eadem namque videtur esse generis, & speciei, quoad praesentem quaestionem attinet.

26 Alij nostram probant sententiam ita: Metaphysica compositio speciei ex genere, & differentia fit per accessum formae ad materiam: nil ergo esse potest genus, quod non sit materia quaedam, nil species, quod materiam quandam, & formam non includat: at in non entibus haud est materia, vel forma vlla: ergo nec genus, aut species. Parum tamen arbitror esse praesidij in hoc argumento: siquidem ad componendum aliquid metaphysice non concurrunt materia, & forma proprie tales, sed quaedam vtriusque imitatio, ac veluti umbra: sed non est quapropter in non entibus non sit quaedam similitudo imperfecta materiae, & formae, aut cur ea quodammodo imitari nequeant per vnam sui formalitatem materiam physicam, & propriam, & v. alterius strictam, & veram formam: proinde si non obstat, aliunde poterit in eis genus, & differentia, adeoque species locum habere. Alia etiam argumenta solent afferri ad probandum, non entia haud esse posse vniuersalia vllatenus, ac proinde neque genera, & species: tamen supra lib. praeced. tract. I. ad eius finem a nobis proposita sunt, atque diluta.

27 Progrediamur ergo ad ea, quibus in praesenti quidam neoterici in diuersam abeuntes sententiam, communem, & veram a nobis traditam impugnant. Primum est tale: hic, & ille hircoceruus v. g. non differunt specie, cum nulla sit vtriusque dissimilitudo maior, quam duorum hominum, vel duum Ceruorum: ergo conueniunt specie; adeoque species aliqua, nimirum hircocerui potest ab eis abstrahi: hircoceruus autem est ens rationis commentitium, & non ens magis, quam ens. Item hircoceruus, & homo equus non differunt genere: ergo conueniunt genere: proinde ens rationis in communi, siue non ens est respectu vtriusque generis. Secundum eorum argumentum est huiusmodi: Hoc, & illud non ens v. g. caecitas, & surditas tam conueniunt in ratione non entis, quam visus, & auditus in ratione entis cuiusdam, videlicet potentiae vitalis: igitur ab vtraque potest abstrahi ratio communis non entis, & negationis: non ens ergo est quoddam vniuersale comparatione vtriusque: at non differentia, proprium, vel accidens propter id, quod non praedicatur de eis instar alicuius alteri adiacentis, siue in quale, sed seruata proportionem tanquam potentia vitalis de hac, & illa quidditatiue: erit ergo genus respectu illorum: quod fiet etiam caecitatem esse speciem respectu huius, & illius, & surditatem contemplatione subiectarum sibi rationum. Tertium argumentum eorum est tale. Negationes, & non entia possunt esse propriae, ergo & genera, & species: consequentia liquet: quod enim ad praesens attinet, quae maior ratio est, quarti praedicabilis, quam primi, & se-

cundi: antecedens suadetur: nam entis proprium est vnitas, quae est negatio quaedam diuisionis. Item substantiae independentiae, siue negatio dependentiae, vel inhaerentiae.

Ad primum argumentum respondeo: quemadmodum Petrus, v. g. aut quiuis alius singularis homo, nec differt specificè, siue genericè à seipso, nec secum alterutro modo conuenit, defectu videlicet distinctionis à semetipso; ita similiter entia rationis haud specie, haud etiam genere consentient, vel discrepabunt inuicem, propter id nimirum, quod sint omni entitate, ac realitate destituta. Ad secundum argumentum respondeo; ens rationis esse quidem vniuersale: ceterum nullum ex quinque enumeratis à Porphyrio; haec enim ab eo tradita sunt, pro solis praedicamentis, & ad meliorem istorum intelligentiam, vberioreque lucem; quamobrem in eis locum non habent, entia rationis, siue non entia; quippe quae cum praedicamentis nihil habeant commercij. Sic ipsum ens est vniuersale: & tamen est probabile, quod nullum ex quinque communiter circumferri solitis. Sic etiam iuxta Louanienfes, quod est genus respectu specierum, est etiam vniuersale, intuitu indiuiduorum, & tamen nullum eorum, de quibus in Ilagoge Porphyriana. Alij respondent argumento, ens rationis, haud esse vniuersale, haud praedicabile vllatenus: quae tamen responsio ostensa est inuicem similis esse libro praecedenti, eiusque tractatu paulo superius memorato.

Ad tertium respondeo: vnitas, siue indiuisio est negatio negationis, adeoque reipsa affirmatio, siue positio, atque entitas, tamen sit virtualiter, ac secundum quid negatio: item independentia substantiae propria, non est actualis: haec enim est communis accidentibus, ut patet in eis, quae in Eucharistia, pani, & vino supersunt, sed potius aptitudinalis; aptitudo autem, & exigentia, non dependendi à subiecto inhaerentis, esto nomen vendicet, carentiae cuiusdam, re tamen vera est quidpiam reale, & positium. Quamuis ergo haec, & similes negationes sint propriae, haud tamen eiusmodi esse poterunt, haud consequenter genera, & species, aliae, quae simpliciter, ac reipsa, & non tantum secundum quid sunt non entia.

30 Haec de non entibus: entia autem, si sint substantialia completa, ut animal, viuens, homo, equus, &c. vel si accidentaliter incompleta, ut color, albedo, actio, generatio, vbicatio circumscriptiua, &c. esse posse genera, & species, & sponte sua liquet, & omnibus est in confesso. Solum ergo potest esse quaestio de entibus substantialibus incompletis, cuiusmodi sunt partes physicae essentiales, ut materia, & forma substantialis, & partes physicae integrales; aut animatae, ut caput, cor, brachium, &c. aut inanimatae, ut punctum, linea, & superficies: necnon partes metaphysicae cuiusmodi creduntur à plerisque subsistentia, & natura hominis v. g. & animalis in abstracto sumpta humanitas, atque animalitas dici solita; qualesque etiam ab aliis censentur essentia, & existentia ab ea realiter distincta.

31 Substantias incompletas superius enumeratas haud esse genera, & species tuerentur Caietanus in caput de specie, Soncinas 7. metaph. quaest. 39. Ioannes à S. Thoma 2. parte log. quaest. 7. art. 3. §. respondeo omnes, & alij plures Thomistae. Item Albertus Magnus tract. 1. in praedicabilia cap. 8. & Cardinal. Toletus de specie quaest. 1. ad 3. §. ad secundam partem. Arguunt autem primo: species est, quae praedicatur de

de pluribus differentibus solo numero in quid, utique complete, ut cap. præced. ostensum est, utque omnes sentiunt, quod ergo non fuerit ens completum, id nequitiam fortietur rationem speciei. Arguunt secundo: genus est totum quoddam: similiter species: cum ergo entia superius recensita sint partes, qui possunt in eis habere locum genera, & species? Arguunt tertio: omnia genera, & species sub prædicamento, siue supremo aliquo genere cohibentur: quod ergo non fuerit in prædicamento, id nequit esse genus, aut species: At ens incompletum, quod illud cumque fuerit, non est in prædicamento: ergo, &c.

32 Arguunt quarto. Caput, v. g. est ens per accidens constans ex forma, & certa portione materiæ cum quadam complexione, & figura: sed nullum ens per accidens est genus, aut species: hæc enim sunt entia per se, saltem penes id, quod in recto inuoluunt. Arguunt quinto, animalitatem haud posse prædicari vere de humanitate, v. g. & equitate, multisque id rationibus probant, quarum inferius fiet nobis mentio tract. 8. huius lib. cap. 2. quomodo ergo animalitas respectu earum potest esse genus, aut illæ intuitu animalitatis species? quæ autem est conditio eorum abstractorum, eadem est quorumvis aliorum. Sexto opponunt Aristotelem lib. 7. metaph. text. 37. ubi sic habet; *εἰ μὲν πολλοῖς ἀριθμῷ ἓν ἐστὶν, ὅπως οὖν ἓν ἐστὶν ἐκ τῶν πολλῶν?* Quod si naturæ incompletæ, cuiusmodi sunt materia, & forma species forent, profecto duæ species, nimirum materia, & anima rationalis speciem aliquam, videlicet hominem constituerent. Quo argumento videtur confici posse idem de cæteris entibus incompletis: nam ut silentio prætermittantur alia, subsistentia, & natura hominem constituunt: aut ergo ambæ non sunt species, aut ex duabus speciebus emerget tertia: item existentia, & essentia componunt hominem actualem, qui species quædam est contemplatione huius, & illius ergo, &c.

33 Argumentantur septimo: subsistentia includit differentias individuales, eaque naturæ superaddit at individui non datur ratio generica, aut specifica, aliæque communis: ergo nec subsistentia. Rursus octauo: si existentia esset genus in communi sumpta maximè existentia latissime fusa, & prout completitur omnes rerum saltem creaturarum existentias: quidni vero? Sed ista nequit esse genus: nam ens creatum non obtrinet rationem generis, cum ens per se creatum, siue substantia creata, & mox ens creatum quantum, & ens creatum quale, &c. sint prædicamenta, ac suprema genera, ac proinde ea quibus nullum est superius: qui ergo fieri potest, ut ens creatum sit genus: quod autem ad præsens attinet eadem videtur ratio entis creati, & eiusdem ordinis existentia: hæc ergo latissime fusa nequaquam est genus. Tandem argumentantur: Si in partibus integrantes inanimis ita dictis hæctenus, non quod animam reiiciant, sed quod eam non possint, genus daretur, ac species, sane indiuisibile in communi esset earum comparatione genus, & illæ eius respectu species: cedo enim aliud earum genus? At indiuisibile in communi non est genus respectu eiusmodi inferiorum, videlicet puncti, lineæ, & superficiæ: nihil igitur est illa genus, & quod consequens est, eorum nullum erit species. Minor (cætera enim haud videntur egere probamento) suadetur ita: punctum, linea, & superficies inæqualiter participant rationem indiuisibilis: illud enim primum est cæteris magis indiuisibile, quippe tale ver-

fus longitudinem, latitudinem, & profunditatem, linea vero est magis indiuisibilis, quam superficies, propterea quod hæc diuisionem re putat penes solam profunditatem, illa autem, tum penes profunditatem, tum etiam penes latitudinem, sola-que longitudine tenus sit diuisioni obnoxia: quemadmodum ergo ens non est genus respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis, quia ab his inferioribus participatur inæqualiter; ita similiter in præsentibus, &c.

Verum in omnibus substantiis incompletis superioris memoratis locum habere genera, & species tueantur Conimbricenses in caput de genere q. 2. art. 2. solis partibus animalium exceptis: Item Tellez in log. disp. 6. sect. 2. num. 1. ubi ait hanc sententiam esse inter philosophos communem, & certam: Necnon Raphaël de Aversa in log. quæst. 8. sect. 4. quamuis oppositum etiam velut probabile defendat, totamque controuersiam esse de vocabulo existimet. Probatur autem primo: quia entia incompleta accidentalia, qualia sunt vbicatio, duratio, actio, &c. sunt genera, eorumque species: magis ergo est, ut entia incompleta numerentur in generibus, & speciebus.

Secundo ad homines: multi aduersariorum putant entia rationis esse genera, & species: quid ni ergo entia, de quibus est quæstio? cum non obstante eorum incompleto, sint multo magis perfecta, quam entia rationis. Tertio etiam ad homines: aduersariorum non pauci sola quinque vniuersalia admittunt, videlicet genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens: quacunque vero alia, tamquam commentitia reiiciunt: materia autem respectu cælestis, & sublunaris est vniuersale quoddam: at non differentia, proprium, aut accidens, cum prædicetur de eis in quid tantum, & non in quale solum, aut in quale mixte: ergo vel genus est respectu illarum, si sunt dissimiles, sin autem similes, & contrario species. Quarto suadetur hæc opinio rationum, quæ sunt obiecta superius, solutione: quam si tradidero sufficientem, & expeditam euici vel hoc solo argumento circumscriptis cæteris quid ni enim entia substantialia incompleta, nisi aliqua obstat ratio, eaque ponderosa, & efficax, perinde, atque completa ad genera, & species ius habeat.

Ad primum ergo argumentum pro contraria obiectione respondeo: speciem prædicari completè est eam esse ens completum eorum respectu, de quibus prædicatur: At materia v. g. (æqua autem est ratio cuiusvis alterius entis incompleti) est ens completum intuitu huius, & illius materiæ, de quibus enuntiatur, earumque tota essentia, quamuis contemplatione hominis haud ita se habeat: potest ergo, & debet esse species. Ad secundum respondeo iuxta dicta superius tract. 2. cap. 4. genus (par autem est ratio speciei) esse totum potestatiuum, quia licet non actu, at certe virtute, siue potestate cohibet inferiora sua: hoc autem pacto esse totum non prohibet quominus sit pars actualis in physica compositione, adeoque ens incompletum. Confirmatur: quamuis sit ea ratione totum, potest nihilominus esse pars in compositione metaphysica, & simul cum differentia speciem constituere: ergo similiter, &c.

Ad tertium respondeo, iuxta ea, dicenda a nobis in Metaph. lib. 3. tract. 1. cap. 1. & 2. ens incompletum esse posse in prædicamento metaphysicè usurpato: Rursus fac, illud in prædicamento nullatenus esse: quid inde? non certe quod non possit esse genus,

mus, & species: nam si ita arctè sumitur prædicamentum, ut de eius ratione esse quid completum, tum ipsum, tum quidquid est in ipso, cur non extra illud ea cum restrictione, & limitatione non sint plura genera, & species? Ad quartum respondeo; ens per accidens esse posse vniuersale: id enim à me probatum est lib. 8. tract. 1. cum esset sermo de vniuersalitate in communi. Quod si vniuersale cur non genus, & species? haud enim ad genus, & speciem requiritur maior vnitas rationis, quam ad quoduis aliud vniuersale. Deinde hoc ipso libro tract. cap. 3. & tract. 3. cap. 1. probatum est ens, siue concretum per accidens posse definiri, definitio autem est oratio explicans rem per genus, & differentiam: eiusmodi ergo ens esse potest species, cum hæc genere, & differentia coalescat: quod si species, certe genus, nam tale ens per accidens nequit esse species, quin aliud eo superius sit genus, sicut tale animal, videlicet rationale non est species, quin animal in communi rationem generis adipiscatur.

38 Ad quintum respondeo, inferius citato illo tract. 8. huiusmet lib. vbertim à nobis probandum esse ex sententia Fonseca, Suarez, Gili, Tellecij, & aliorum abstracta substantiarum esse genera, & species, eaque de suis inferioribus vere prædicari. Ibidem etiam argumenta in contrarium obiici solita, nisi fallor, satis luculenter sunt diluta. Ad sextum respondeo; Aristotelem non negasse duas species physice vnã componere, quod solum ex nostra sententia sequitur, sed solum metaphysice, siue ratione, aut intellectu eas constituere, quod verissimum est, atque nostrum. Hanc autem eius esse mentem perspicuum est, quia numeros cum speciebus, & compositionem physicam cum metaphysica comparat, & vnã speciem ex duabus metaphysice coalescere negat, esto ex duobus numeris verbi gratia, binariis alius tertius, nimirum quaternarius coalescat.

39 Ad septimum respondeo; substantiam, si pro eo ac verius est, sit substantia singularis completa, siue resultans ex partibus per se unitis, siue partium omnium expers, ita institutam esse, ut eius nulla detur ratio communis generica, aut specifica, videlicet, quia nulla admitti potest ratio communis indiuidui, ut tract. sequenti clarebit. Ceterum ubi sit entitas quædam incompleta, non conspicio, cur magis concernat differentias indiuiduantes, quam forma substantialis, vel materia, aut cur instar harum genus, & species esse non possit.

40 Ad septimum argumentum respondeo: in primis propter rationem in eo obiectam existentiam creatam in communi, propterea omnes omnino cohibet, haud esse genus: id, quod præter alios censent Conimbricenses loco superius citato: quare maiorem argumenti esse falsam: quæ enim in existentia illa latissime fusa militat ratio, ea certe non procedit in aliis inferioribus, nec prohibet quo minus existentia spiritualis respectu spiritualium, & corporalis intuitu corporearum sint genera, necnon humana species respectu huius, & illius, & equina similiter contemplatione subiectarum sibi partium. Respondeo secundo concessa maiori, & admissa ratione generis in existentia propterea omnes saltem creatas complectitur, nullo earum facto discrimine: Ita sentit Molina 1. part. quæst. 3. art. 4. disp. 2. Ratio autem in contrarium adducta, non vrget: tum, quia in metaphys. lib. 5. tract. 2. à nobis ostenditur, haud esse impossibile, quod ens pro ut abstrahitur à creatura, & increato sit genus, quantumvis prædicamen-

ta eoinferiora dici soleant, & ex vero, suprema genera: à fortiori ergo genus esse poterit, ens creatum: tum, quia licet illud generis rationem non adipiscatur, at certe hoc eam poterit obtinere: nam ens, ut sic, & communissimè sumptum, uti dissoluitur in substantiam, & accidens, ita etiam in creatum, & creationi minime obnoxium: sicut ergo, substantia sub eo immediate contenta est genus, quidni etiam ens creatum?


Ad postremum argumentum respondeo, indiuisibile in communi, haud esse genus respectu trium vulgarium: quamuis enim Conimbricenses, ubi supra, ea in re dubios sese exhibeant, atque etiam in affirmatiuam partem, magis inclinent; quod tamen negatiua sit præferenda, mihi videtur longe probabilius; non ob rationem argumenti contrarij, cuius est præ manibus solutio: tum, quia album est genus, respectu huius, & illius albi, videlicet eius, quod est, ut octo, & eius, quod est, ut septem, ac cæterorum retro, vique ad album ut vnum; si, quod est valde probabile, hi inferiores gradus specie dissident ac sunt dissimiles: & tamen ex eiusmodi albis aliud est magis album alio: tum, quia lux, & calor, habitus, & actus, intellectus, & intellectio inæqualiter participant, rationem qualitatis quantumvis genericam; hoc sensu, ut quamuis earum specierum vna fortasse non sit magis qualitas, quam alia, at certe ita, ut vna prius conceptum qualitatis sortiatur, & alia posterius, atque cum dependentia à priori: tum denique, quia etiam ens in communi, est, non solum vniuersum, sed etiam fortasse genus respectu substantiæ, & accidentis, Dei, & creaturarum, quantumlibet horum inferiorum alia aliis sint magis entia, & non solum hoc ex titulo, sed etiam ex alio, videlicet subordinationis, ac dependentiæ conceptum entis inæqualiter recipiant. Hæc ergo ratio cum nulla sit, quænam iniquies est, ob quam indiuisibile non sit genus respectu trium supra memoratorum?

Ea quidem tradi potest, & me iudice facilis, nimirum hæc: quod punctum solum sit propriè, & simpliciter indiuisibile, & linea, ac superficies dumtaxat impropriè, & secundum quid: ut docent multi grauesque authores præsertim vero noster Fonseca lib. 5. metaph. cap. 13. quæst. 6. sect. 5. post medium: & quidem merito, negatio enim est malignantis naturæ, totumque tollit: quare, ut sit aliquid propriè, & strictè ratione indiuisibile, haud satis est, ut versus vnã tantum dimensionem, nempe profunditatem, sit diuisionis expers, uti superficies; haud etiam sufficit, ut versus duas, scilicet profunditatem, & etiam latitudinem, ut linea; sed opus est, ut versus omnem, quo pacto se habet punctum: hoc ergo solum est propriè indiuisibile, ut dictum est, quippe in quo negatur, ac de medio tollitur omnis diuisibilitas: proinde respectu illius, & lineæ, ac superfici-ei non magis potest esse genus indiuisibile in communi, quam animal intuitu veri, & picti.

Quod autem obiiciunt Conimbricenses, quantitatem esse genus respectu huius, & illius, nimirum permanentis, & successiue; videri ergo comparisonem inferiorum indiuisibilium esse similiter genus indiuisibile in communi; hoc inquam parum facessit negotij: siquidem vtraque quantitas rationem quantitatis simpliciter, ac propriè vendicat, cum tamen indiuisibilia illa particularia communem indiuisibilis conceptum propriè ratione non adipiscantur. Porro, quamuis hæc de causa indiuisibile non sit genus respectu trium, in quæ diffunditur consuevit, haud propterea metus est, ne desit eis aliud genus,

aut

aut ne consequenter definiant illa esse species : namque respectu linear, & superficiei non minus, quam profunditatis quantitatem esse genus, ac verum predicamentum supra lib. 3. metaph. tract. 4. cap. 5. ostendendum est ex Aristotele, Suarior, Auerſa, & aliis aduersus Dominicum Sotum: Quidquid autem de hoc sit, sane *indivisibile quadamtenus, sine versus aliquam partem* genus esse potest respectu illarum trium specierum, cum eis proprie, & strictè cōueniat.



TRACTATUS IV.

De indiuiduo speciei correlatiuo.

CAPVT I.

Quid sit indiuiduum.

IN primis indiuiduum definiri solet à scholasticis ex Porphyrio : *quod de vno solo pradicatur.* Quæ definitio, quantum opinor, quidditatiua non est : tum, quia prædicabilitas non est de essentia vniuersalis, vt sic, sicut ostensum est in tempore : multo ergo minus erit de essentia indiuidui latissime fusi : tum, quia veritas, seu cognoscibilitas est passio cuiusque entis à parte rei existentis, ac proinde indiuidui, cum nil non indiuiduum, & singulare existat ; at prædicabilitas est cognoscibilitas quædam : ergo prædicabilitas est passio indiuidui, & non essentia, ac per consequens indiuiduum vniuersum sumptum per prædicabilitatem essentialiter, & quidditatiue non definitur. Verum enim, si paulo arctius sumatur, ac propt est secundo intentionale, nihil prohibet, illud quidditatiue definiri vti supra : qua ratione, licet non vniuersale in communi, at certè logicum, cuiusmodi est genus, species, &c. definitur quidditatiue per hoc, quod possit prædicari de multis.

2 Porro autem superior definitio etiam intuitu indiuidui latissime usurpata vera est, illudque absque vlla falsitate saltem describit. Quamuis enim Auerroës, Sotus, Toletus, & alij contrarium censeant, moti autoritate Aristotelis, qui cap. de substantia indiuiduum de nullo prædicari docet ; verum facile explicari potest de prædicatione scientifica, quæ vniuersalis esse debet, eo, quod scientiæ de vniuersalibus, non vero de singularibus sint, vt plurimum. Caietanus autem Aristotelem de prædicatione directâ exponit, deque eius mente solum censet esse, fieri non posse, vt indiuiduum de aliquo prædicetur directè. Displicet tamen hæc expositio tanquam veritati parum consentanea : siquidem indiuidua incompleta de completis directâ ratione prædicantur hunc in modum : Petrus est hic homo confusè cognitus : hoc animal ; hæc substantia, vt bene Hurtadus, & neoterici docent : vtque est per se manifestum. Affinis est superiori definitioni alia indiuidui, à Porphyrio tradita, & à scholasticis communiter recepta, quæ ita se habet indiuiduum est, *quod speciei subiicitur* : ea autem, si sit indiuidui secundo intentionaliter sumpti (haud enim est minus secunda intentio rem subiici, quam prædicari) est vera, & quidditatiua, sin autem indiuidui latius sumpti, vera, sed non quidditatiua : vtrumque constat ex super dictis circa priorem definitionem.

3 Quarto igitur definiri solet indiuiduum, tum quidditatiue, tum etiam ita, vt nullum non comprehendat, *quod est indiuiduum in se, & diuisum à quolibet alio* : ita B. Thom. 1. p. q. 29. art. 4. Posterior particula definitionem non ingreditur, sed eam à posteriori vt aiunt, magis illucelcere facit ; siquidem sola indiuisio in se indiuiduum essentialiter constituit, & definit, & diuisio à quolibet alio indiuisiōnem rei in se, velut passio consequitur. Porro, ne ita intellecta definitio, vnde quaque proba apparet : nam species hominis v.g. non est indiuiduum, sed vniuersale quoddam : & tamē est indiuisa in se, cum species hominis diuidi nequeat in plures species humanas.

4 Respondent nonnulli primò, addita hac particula *ultima diuisione* : species autem hominis, esto in plures species hominis indiuidua sit, in plures tamen homines particulares diuidua est : quare non est indiuidua in se vltima diuisione. Verum nec Petrus, v.g. est indiuisus in se vltima diuisione, quia licet indiuiduus sit in plures Petros, diuiduus tamen est in formam, & materiam, & hæc vltius in suas partes : perperam ergo adstruitur eius genij indiuisiōnem esse de ratione indiuidui, eique essentialē. Respondent alij secundo, superaddendam esse particulam, *eiusdem nominis, & rationis*, ita, vt indiuiduum sit, indiuisum in se, vtique per partes eiusdem nominis, & rationis cum toto, quo certè pacto Petrus in materiam, & formam minimè diuiditur. Cæterum difficultas adhuc manet insoluta : siquidem nec species hominis in plures species humanas diuidi sustinet, quantumuis in plures homines, quorum nemo species est dissecari queat : cur ergo species hominis quatenus talis non fiet indiuiduum.

5 Tandem alij respondent, addita particula *metaphysicè*, vt indiuiduum sit, quod est indiuisum in se diuisione metaphysica : Petrus autem in materiam, & formam solum physicè diuidi potest, cum tamen species humana in diuersos homines metaphysicè (hac enim phrasi vtuntur,) & velut totum potestatiuum, ac ratione nostra abstractum diuidatur. Contra tamen sic argumentor, ac ne ita difficultatem tolli suadeo : Petrus in hoc animal, & hoc rationale diuiditur, non physicè, sed metaphysicè, atque consideratione nostra : nihilominus est indiuiduum : hoc ergo per indiuisiōnem metaphysicam haud rectè explicatur.

6 Quocirca respondeo : speciem humanam esse indiuiduum, & simul rationem communem respectu diuersorum : sic idem est verum, & falsum, bonum, & malum intuitu diuersorum, vt suis locis constabit : est quidem indiuiduum species hominis respectu plurium specierum humanarum, in quas diuidi nequit : est verò communis, & vniuersalis ratio intuitu Petri & Pauli, de quibus, secundum quod importat in rectò prædicari, & in quos ita sumpta scindi potest. Eadem ratione Petrus est indiuiduum contemplatione huius, & illius Petri in quos diuidi nequit : & non est indiuiduum comparatione materiæ, & formæ, in quas fas est eum dissecari. Proinde diuisio, quam definitio indiuidui negat vniuersaliter sumi potest, ac debet, nec ad physicam magis, quam ad metaphysicam, neque ad eiuſdem magis, quam diuersæ rationis diuisionem est coarctanda. Vel si mauis dic indiuiduum esse indiuisum in se diuisione vniuersali : qua ratione omnia rectè sibi cohærebunt.

7 Quod toto hoc cap. diximus, indiuiduum haud semel, sed iterum, atque iterum posse definiri quidditatiue, id intelligi non potest de quidditate logica, physica, aut metaphysica. Quidditas enim, sine primo